

AUTHENTICÆ,  
SEU  
NOVELLÆ CONSTITUTIONES

D. JUSTINIANI,

SACRATISSIMI PRINCIPIS.

COLLATIO PRIMA.

TIT. I.

DE HEREDIBUS ET FALCIDIA<sup>1</sup>.

NOVELLA CONSTITUTIO I.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Joanni gloriosissimo sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsule et patricio.

PRÆFATIO.

Occupatis nobis circa totius reipublicæ curas, et parvum nihil eligentibus cogitare, sed quatenus Persæ quidem conquiescant, Vandali<sup>2</sup> vero cum Mauris obediant, et Carchedonii antiquam recipientes habeant libertatem, Tzani<sup>3</sup> autem nunc primum sub Romahorum facti republica, inter subjectos habeantur: (quod nondum hæcenus, nisi sub imperio nostro dedit Romanis Deus) incurrunt etiam propriæ sollicitudines a nostris subjectis semper nuntiata, quarum quidem singulis damus competentem formam. Quæcumque vero frequenti quidem potiuntur per partes auxilio, possibilia tamen sunt scripta lege, ut communem omnibus præsent (in quibus opus habent) utilitatem: hæc oportere putavimus et lege sancire, et tradere subjectis per se jvantia, et non semper jussione imperatorum egentia. — § 1. Semper igitur nobis importuni sunt, alii quidem nos pro legatis relictis, non tamen præbitis, ad-utes: alii vero pro libertatibus: alii ob aliud quiddam: quod transmittentes quidem hereditates, dari quibusdam aut fieri constituerunt: indevote autem et res adeunt, et eas percipiunt: et quod est jussum, non faciunt: cum utique etiam a veteribus legislatoribus dictum sit, competentes<sup>4</sup> deficientium dispositiones, quæcumque non repugnant legibus, omnibus modis impleri. Sed quoniam ita positas leges jam plerumque neglectas invenimus: reparare eas judicavimus oportere: et tam viventibus præbere ex eis cautelam, quam morientibus hinc exhibere honorem. — § 2. Primum itaque illud est cogitandum, quia testantibus aliis quidem necessitatem imponit lex distribuere quandam partem personis quibusdam tanquam hoc secundum ipsam<sup>5</sup> naturam eis debeatur, quale est filiis et nepotibus, et patribus<sup>6</sup>, atque matribus, interdum vero etiam fratribus, et si quam hujusmodi personam, aut in iis qui ex nobis sunt aut ex quibus nos sumus, enumeraverint leges. Aliis autem nulla consistit necessitas partem dare quamlibet propriæ substantiæ: sed sua potestas eis largitur, ad quoscunque testator voluerit, proferenda.

CAP. I. Si heres legata solvere noluerit.

His igitur a nobis præordinatis, sancimus eos qui ab aliquibus scripti sunt heredes, aut meruerunt fideicommissa, per universitatem forsam, aut per speciem, aut legatum, necessitatem habere, quæcumque testator et honorans eos, disposuerit, omni modo ea complere<sup>7</sup>, si quod

TIT. I. — 1. Lib. 2. Inst. 22; Lib. 35, D. 2; Lib. 6, C. 50. — 2. L. 1, in pr.; L. 2, in pr. C. de offic. præf. præf. Africa. — 3. N. 28, circa fin. præf. — 4. N. 22, c. 2; N. 48, c. 2; L. ult. in fin. C. de fideicom. — 5. C. 1, § 2, in fin. L. 7, in pr. D. de bon. damnat.; L. 36, § ult. C. de inoff. testam. — 6. L. 25, in pr. D. d. 1, de inoff. testam. — 7. F. 2, L. 27, in fin. D. de condit. et demonstr. — 8. L. 27, in pr. D. de condit. instut.; L. 115, in fin. D. de legat. 1; N.

præcipitur, legitimum sit<sup>8</sup>, aut si non illud aliqua lex prohibeat, vel non fiat ab eo qui honoratus est, tamen ratum esse expresse jam demonstrat. — § 1. Si<sup>9</sup> quis autem non implens quod dispositum est, sed dum competat ei qui honoratus est, quod relictum est, etiam ex decreto judicis admonitus, annum<sup>10</sup> totum protraxerit, non agens hoc quod præceptum est, si quidem aliquis illorum fuerit, qui necessario ex lege præcipiunt, in plus autem, quam quod lex ei dare vult, scriptus est heres: tantum accipiat solum, quantum lex ei dare secundum quartam ab intestato partem concedit: aliud vero totum auferri. Et si quidem etiam alii quidam scripti sunt heredes, accrescere illis secundum<sup>11</sup> partem institutionis quæ unicuique distributa est. Si vero nullus aliter sit heres: aut sint quidem scripti quidam, non autem adeant hereditatem: tunc quod auferitur, adjiciatur aliis rebus: et licentia præbeatur et legatariis, et fideicommissariis, et servis libertate honoratis, adire, et hæc acquirere: ita ut omnibus modis quod præceptum est, [per testamentum] impletur: cautione<sup>12</sup> videlicet prius ab eis facta, secundum quod personarum vel rerum receperit modus: quia res accipientes, agent in eis quæ recte voluerunt testatores. Si vero nullus horum, de quibus testamento memoria facta est, voluerit adire: (hoc est, cohæres, aut legatarius, aut fideicommissarius, aut servus libertate honoratus:) tunc ad alios, quos lex ab intestato vocat, post eum quidem qui scriptus est, et legitima per hanc legem parte exclusus, deferri res: et similiter præbentes cautionem, quia complent quæ testamento continentur. Inordinatum vero nihil neque confusum, nec in his fieri volumus: sed primum secundum<sup>13</sup> ordinem vocatus, post eum qui jam exclusus est a lege nostra, ita vocetur prior; deinde qui post illum est: ita de cætero, donec ultimus relictus locum faciat etiam alicui exterius venientium, et adire, et quæ relictæ sunt implere: post<sup>14</sup> quos etiam fiscum si voluerit, ponimus: etenim in legatariis et fideicommissariis hunc esse volumus ordinem, ut detur licentia aditionis priori per universitatem fidei commissario: aut, multis existentibus, majorem partem habenti: quoniam et in similitudinem<sup>15</sup> heredis consistit, et maxime apud nos, qui Trebelliano soli dogmati dedimus in talibus fideicommissis locum, Pegasianii circuitiones<sup>16</sup> odio habentes, et expellentes. Si vero aut non fuerit quispiam per universitatem honoratus: aut fuerit sed noluerit agere quod jussum est: ad eos qui majoribus propriis legatis aut fideicommissis honorati sunt, hujusmodi venire fiduciam: sic quoque servis dari tempus qui libertate honorati sunt, et adire, et liberis cautum esse, et res percipere, et complere quæ jussa sunt, cum prædicta dudum cautione. Si vero nullus fuerit legatariorum vel fideicommissariorum per universitatem aut per speciem majori parte aut in legato, aut in fideicommissis honoratus, sed omnes æqualem habuerint fortunam: tunc proponi quidem etiam sic per universitatem fideicommissarios, propter dictam jam dudum rationem, aut eum qui ex eis voluerit implere quod præceptum est: reliquos

22, c. 45, in fin. — 9. Auth. Hoc amplius, C. de fideicom. — 10. C. 4, in pr. Infr. hic. — 11. L. un. § 8 et 10, C. de caduc. toll. — 12. L. 19, D. de legat. 3. — 13. L. 24, § 17, de fideicom. libert. — 14. L. un. § 14, C. de caduc. toll. — 15. L. 5, § 1, D. quod cum eoi; L. 4, in fin. D. de bon. libert. — 16. § 7, Inst. de fideicom. hered.

autem legatarios vel fideicommissarios, quicumque nihil alterutros in hoc, quod relictum est, antecedunt, etiam omnes, si voluerint, vocari, aut qui ex eis voluerint. Si vero nullus legatarius aut fideicommissarius elegerit hoc agere, damus servis licentiam libertate honoratis, secundum ordinem<sup>17</sup> denominationis, per quam eos dominus denominaverit, secundum hoc habere in alterutro præpositionem. — § 2. Et hæc quidem omnia sancimus, ubi necessaria quedam subiaceat datio in aliquo, cui ex natura debetur quedam successio a testatore et moriente. Si vero nulla subest huiusmodi persona in institutionibus, sed spontanea largitas dispositionis a testatore fiat: deinde scriptus heres non compleat quod præcipitur, intra prædictum a nobis dudum tempus: illum quidem priorem omnibus relictis, nihil penitus neque per Falcidiam occasionem, neque per aliam causam percipere valentem: similiter autem talia obtinere: et si quidem sint coheredes, hos vocari volumus: alioqui ad fideicommissarios, et legatarios, et servos, et omnes ab intestato, secundum prius a nobis traditum ordinem, res venire, ubique onere cohærente, quatenus oporteat compleri ea, quæ testator secundum legem (sicut prius diximus) impetraverit. — § 3. Si vero institutio eam substitutionem habuerit: certum est, quia prius ad substitutum volentem venient omnes res secundum legem completem que relictæ sunt: et sic illo nolente, tunc ad coheredes, et legatarios, et servos, et qui ab intestato, et qui extra sunt, et fiscum, et secundum a nobis datam observationem, ea quæ auferuntur, venient: complentes ubique deficientium legitimas dispositiones: propterea namque etiam ad tantas respeximus successiones, ut<sup>18</sup> non remaneat sine aditione ipsius morientis hereditas.

§ 4. Exheredatos autem liberis (si iuste a patre exclusi sint, et nihil ex patris habeant voluntate) non vocamus, neque respicimus, licet decies milies velit. Una est enim legis intentio: ut quæ disposita sunt a morientibus, impleantur: eum enim qui ab ipso testatore propria substantia pulsus est, quomodo erit iustum vocare ad res, quarum eum ille per exheredationem factam in eum, expressim fieri participem noluit? Si vero ablatam partem a non completem morientis voluntatem, prius<sup>19</sup> deduximus ad substitutos, deinde ad coheredes, et post illos ad legatarios, et fideicommissarios, necnon et ad servos, et ita ad eos qui ab intestato vocantur, et ad extraneos<sup>20</sup> atque ad fiscum venimus: non absurde hoc factum est nec inaniter, nec quasi aliquem lateat quod deest, sed ex providentia, et secundum legem: ut finitis primum omnibus secundum testamenta personis, deinde abrenuntiantibus, ita ad tam quæ est ab intestato vocationem et alios venimus. In omnibus autem casibus, in quibus scriptis non complementibus, vocamus aut ex testamento personas, aut ab intestato, et ceteros extraneos, et fiscum: damus omnibus talibus personis fieri heredes, et aditionis, aut pro herede gestio- nis habere ius (hæc enim legis verba sunt) et tanquam heredes omnia gerere et conventos et convenientes. Hæc quidem etiam antiquissimæ leges ex propria auctoritate præstant: et heredes faciunt eos, qui neque scripti heredes, neque ab intestato ad hereditatem vocantur. His omnibus obtinentibus, licet non ab herede, sed a legatario aut fideicommissario, aut mortis<sup>21</sup> causa percipiente, dari aliquid aut fieri testator voluerit: eodem ordine in occasione ablatarum rerum servando, et inchoante quidem a substitutis legatariis: terminante vero in fisco. Et nullus hanc legem duram habeat, tanquam relictis privatus, sed considerans, quia omnibus hominibus terminus vitæ est mors<sup>22</sup>: et non solum ab aliis ipse se percipere completur, sed cogit, quia et ipse aliis moriens implebit: et si non huius legis mereatur auxilium, nihil horum quæ omni studio disposuerat, ad effectum perducet. Non enim iis qui sub nobis, neque qui nunc solum sunt hominibus, sed omni etiam post hoc currenti tempore legem ponimus.

#### CAP. II. De lege Falcidia et inventario.

Hinc<sup>23</sup> nobis ingressa est cura, et quedam consideratio Falcidiam legis, quæ etiam invitis<sup>24</sup> testatoribus (si extendatur res per legata) præbet etiam retinere heredes, quantum eis impleat quarta substantiæ. Et hinc enim repugnare quidem videntur voluntati deficientis, et incumbere legi talia permittere. Sancimus igitur, quoniam tuenda nobis ubique est deficientium voluntas, heredes, si voluerint hac utilitate potiri, puram servare legis potestatem: et non per ea quæ forte subripiunt<sup>25</sup> aut malignantur, introducere pertentent Falcidiam, eum utique si nihil malignati essent, non forte competeret. — § 1. Fiat igitur inventarium ab herede, metente<sup>26</sup> ne forte non habeat post debita et legata Falcidiam, secundum modum et tempora<sup>27</sup> per quæ dudum sanximus, quando ho-

17. L. 24, § 17. D. de fideicom. libert. — 18. § 2. in fin. Inst. de bon. poss. l. 6, D. de interog. — 19. § 5, supr. h. — 20. L. ult. in pr. et § pen. et ult. c. de testam. manum. — 21. L. 50, in pr.; L. 77, § 1, D. de legat. 2; l. 10, D. de mort. caus. donat. — 22. L. ult. text. hinc est enim, C. de episcop. et cleric. N. 22, c. 10, in pr. — 23. Auth. Sed cum testa-

mines excepimus ex damno rerum suarum, in aditionibus statuente onera usque ad substantiam relictæ mensuram: illo adjecto solo, ut oporteat huiusmodi heredem, qui non creditores solum, sed etiam legatarios et fideicommissarios veretur, et metuit non damnificari solum, sed etiam non lucrari, convocare omnes legatarios et fideicommissarios quancumque in eadem civitate sunt constituti, aut quosdam pro eis agentes, si forte personarum natura, aut dignitas, aut qualitas, aut ætas, aut qualibet necessitas facultatem eis non dat ad inventarii præsentiam. Si vero ab- sunt aliqui, interesse testes in ipsa civitate fide dignos, et possidentes<sup>28</sup> substantiam, et optime opinionis existentes, non minus tres: tabulariis enim solis, quorum ad hoc competit non credimus: coram quibus convenit fieri inventarium, ita ut supervenientibus legatariis et quærentibus forsam subreptum aliquid rerum, aut non manifestatum: licentia sit non solum per servorum examinationem causam querere: nam etiam hoc præbimus per prolatam dudum a nobis in servilibus<sup>29</sup> examinationibus observationem (sed etiam per iurandum heredis, et iurandum testium dicentium, se et affuisse in quæ gesta sunt et vidisse quæ tunc agebantur, et in nullo consensisse esse factæ ab herede malignitatis, sicque in iis quæ relictæ sunt a testatoribus, invenire veritatem: nisi forte præsentem legatarii omnes aut quidam constitutione sibi premissa noluerint venire: nec adesse inventario. Tunc enim licentia erit heredi, etiam non adventibus legatariis, contentum esse testium præsentia, et facere descriptionem: reposito etiam sic legatariis, et iurejurando heredis, et servorum examinatione, et his omnibus observatis habere ex Falcidia præsidium. Sic enim non videbimur, neque legem ita hactenus approbatam minuere, neque iniustitiam facere morienti. Si enim omnino quidem sibi vult aliquos fieri heredes, et habere quandam consolationem ex sua successione, et arbitratu sufficientem se habere substantiam, non tamen hoc causæ veritas ostendit: certum est, quia non hæc contrarietas erit scientiæ morientis, sed ignorantie puritas illius.

§ 2. Si vero non fecerit inventarium secundum hanc figuram, sicut prædiximus, non retinebit Falcidiam: sed complebit legatarios, et fideicommissarios: licet puræ substantiæ morientis transcendat mensuram legatorum datio. Et hoc dicimus, non nostram minuente legem quam posuimus, ut nihil de proprio damnificentur heredes creditoribus, sed dabit eis penam exactio suæ malignitatis, cur transcendit leges, ex quibus caute omnia agens nihil poterat damnificari, sed ex diverso etiam que sunt ex Falcidia lege, lucrari. Hæc autem dicimus: ubi errans testator de sua substantia hoc egit: aut forte cum debuisset etiam ampliore quantitatem heredi relinquere, pro minore disposuit: etiam etiam hoc errantis sententiæ est, et non puræ, et integræ designationis. Si vero expressim designaverit<sup>30</sup>, non velle heredem retinere Falcidiam: necessarium est testatoris valere sententiam: et aut volentem eum parere testatori, forsam etiam quedam iuste et pie relinquenti: lucrum non in percipiendo, sed solummodo pie agendo habentem: et non videri sine lucro huiusmodi esse hereditatem: aut si parere noluerit, eum quidem recedere ab huiusmodi institutione, locum vero fieri (sicut dudum prædiximus) substitutis, et coheredibus, et fideicommissariis, et legatariis, et servis, et iis qui ab intestato sunt, et aliis secundum prius a nobis inventam in talibus viam.

#### CAP. III. De legatorum executione.

Non autem dabimus licentiam heredi mensuram substantiæ subtiliter agnoscenti, solvere quidem mox ab initio quibusdam integra legata, et ad plenum sententiam testatoris servare, (quod etiam præcedentium nos dicunt constitutiones<sup>31</sup>) ab aliquibus autem retinere velle: neque ex parte quidem complere testatoris sententiam, ex parte vero eam minuere: sed omnino non errantem circa substantiæ quantitatem, sed agnoscentem, et mox sequentem sententiam testatoris, per omnia eam sequi, et non ad pejora penitere: neque enim hoc erit pure sequenti (heredis.) Sed neque concedimus eis ab initio scientibus quidem, et incaute solventibus, postea lites percipientibus inferre, et recipere velle ab eis quodcumque contigerit exsolvisse eos. Oportet enim ante actionem cogitare, et agere, et non cogitantem recte, deinde transferri ad indevotionem: nisi forte iusta quedam causa hoc introduxerit, inopinabili quodam [ære alieno] apparente, quod minuat substantiam, et locum receptioni faciat.

#### CAP. IV. Ut legata intra annum (modis omnibus) præstentur.

Illud quoque prospeximus, ne tempus fiat longum in talibus questionibus. Nullam enim talium questionum aut litium transcendere anni tempus sancimus: necessitatem imponentes omnino intra annum post

tor, C. ad leg. Falcid. — 24. L. 15, § 1 et fin.; L. 86, De d. t. — 25. L. 6, D. de his que ut indign. — 26. L. ult. § 2, C. de iure delict. — 27. D. L. ult. § 2, § 3 et 11. — 28. Falc. L. 5, in pr. D. de testib.; N. 90, c. 1, in pr. — 29. L. ult. § 10, C. de iure delict. ead. N. 48, c. 14 L. ult. C. de quest. — 30. Abrog. L. 13, § 1 et fin. D. ad leg. Falcid. — 31. L. 6, § 1, C. d. t.

aditionem et legata solvi, et quæ a testatore sunt relictæ, compleri, secundum sui naturam, et omnia agi quæcumque prius ediximus. Initium autem anno damus, sicut prius jam diximus, admonitionem<sup>32</sup> ex judiciali decreto. Anno enim per culpam heredis transacto, tunc ille quidem cadat relictis, alii vero ad hæc venient quos prius vocavimus. — § 1. Popillis autem et minoribus ætate, nihil nostra præjudicat lex. Est enim eis si quidem etiam secundum dictas a nobis causas lædantur, dup ex quoddam subsidium: et per restitutiones, et per viam contra negligentes tutores vel curatores. Non autem excipimus a lege neque patronatus successiones, et ibi enim legitima eis servata parte, quam nos definimus, quicquid ultra hanc eis relictum fuerit, et aliquid a libertis petiti fuerint, illi complere deinde noluerint: hunc ordinem tenere sancimus, quem inchoantes sacram nostram hanc constitutionem diximus, ita ut legalis quidem pars maneat apud eos pura talibus, reliqua vero veniat secundum viam a nobis nunc apertam in talibus maxime, quoniam in ipsa de iure patronatus posita a nobis constitutione, ad similitudinem pene ingenitorum, etiam libertinitatis ordinavimus. — § 2. Quia vero duplex est testamentorum modus, aut in scriptam delatus dispositionem, aut in non scriptam voluntatem: hæc omnia obtinere similiter, et secundum æquam observationem, et in non scriptis testamentis, et in omni ultima voluntate sancimus, et in omni persona, sive privata, sive militari, sive sacerdotali, sive imperiali, sive alterius cujuscumque. Communem namque omnibus hominibus hanc legem ponimus.

#### EPILOGUS.

Hæc nos, ut communiter omnibus prosint hominibus, scripsimus: quatenus et viventes relictis potiantur, et deficientes cum securitate moriantur: scientes quia lex etiam sepultis administrabit, et quæcumque illi disposerint, ad effectum ipsa perducet. — § 1. Quamobrem (quoniam communis hæc utilitas omnibus est hominibus) fiant quidem a tua eminentia hinc præcepta cunctis declarantia legis virtutem: dirigantur autem et per provincias in omnibus gentibus quæ dudum fuerunt, et nunc a Deo per nos sunt adjectæ principatui Romanorum. Metropolitanorum iudices hæc sumentes (sicut dudum sancimus a nobis est) unicuique dirigant civitati: nullasque manebit non audiens legem, quæ neque in pauperate vivere, neque morti in anxietate permittit. — Datum kalend. Januar. Constantinop., FLAVIO BELISARIO V. C. CONS. Indictione decimatertia 539.

#### TIT. II.

#### DE NON ELIGENDO SECUNDO NUBENTES MULIERES: ET ALIENATIONE ET LUCRO ANTENUPTIALIS DONATIONIS: ET DE SUCCESSIONIBUS EARUM ET FILIIS SUIS.

#### NOVELLA CONSTIT. II.

Imperator JUSTINIANUS AUGUST. Hermogeni gloriosiss. magistro sacrorum officiorum, exconsuli et patricio.

#### PREFATIO.

Et ante nos legislatoribus romanis continuam legislationis occasionem emergentium causarum dabat varietas, et nos omnem partem legislationis orantes reipublicæ: cunctam pene correctionem, aliquando quidem pro egentium interpellationibus, aliquando vero in judicialibus questionibus celebravimus: et multas legis hinc subjectis nostris conscripsimus: quale est quod etiam nunc emergens ad hanc nos vocavit legem. — § 1. Gregoria enim supplicavit, dicens, habuisse se dudum virum, et duos fecisse filios, masculum et feminam, et exulisse quidem maritum: plurimum vero a filio experta favorem, existimavit oportere, ne relinqueret eum sine remuneratione, nec extra competentem honorem dimittere. Igitur antenuptialem donationem, licet non veniens ad secunda vota, tamen restituit, et dedit filio, qui tamen non vivens ei permansit, sed abiit ex hominibus, antequam ad secundas venire vellet nuptias mater: et lex tam antiqua quam nostra vocavit ambas, et filiam et matrem ad minoris successione. Et si quidem in prioribus mater nuptiis permansisset, nulla quæstio fuerat: sed illa quidem ad virum descendit secundum, usufructum, qui fuerat, omnem habens antenuptialis donationis: (sic enim eam etiam omnem donavit tu<sup>33</sup> usus quidem apud eam remaneret, proprietates autem fieret apud filium) omnem vero proprietatem filia percipere minabatur, non secundum quantum heres erat fratris, sed secundum quantum pater dederat matri, dicens nullam fiduciam

32. C. 1, § 1, supr. h. Tit. II. — 1. L. 28, C. de donat. — 2. C. 4, infr. h. — 3. Abrog. L. 5, in pr.; L. 5, in Ep.

habere matrem ad secunda vota migrantem, proprietatem habere donationis quacumque ratione: verum mater nequaquam hoc antenuptialem esse donationem omnino affirmabat, sed permixtam jam rebus filii, et tanquam hereditatis, non adhuc tanquam donationis existentis, competere ei sex unciarum, et proprietatem et usum habere. Et non solum hoc dubitabatur, sed etiam de ipsa hereditate fratris contra eam filia relectabatur, matre quidem petente ejus hereditatem pro media parte, secundum quam eam nos ad hereditatem filii vocavimus, una existente sorore, moriente (vero) filio, cum ea vocata: filia vero obtinere hereditatem fratris valde fortiter ex prioribus sanctionibus insistente, et dicente, quia mater, si quidem ad secundas nuptias non venisset, recte vindicaret hereditatem filii: venientem vero ad virum alterum, omnino privari iis, quæ ex paterna substantia filius acquisivit: quia si post secundas nuptias filius mortuus esset, undecumque acquisita esset ei substantia, ipsa esset domina: hæc constitutionibus ambabus volentibus, quæ talia decernunt. Mater quidem valde crudeliter habere constitutiones illas, et indignas clementia nostrorum temporum affirmabat: verumtamen usa est a nobis posita constitutione, dicens hanc non subdi constitutionibus prioribus, atque matrem quidem nondum ad virum secundum venientes, cum filii vocari: quæ vero secundis copulantur nuptiis, nequaquam: hic autem etiam aliquid adesse peregrinum: se enim in filium largientem conferentem occasione electionis, rursus de donatione potius recepisse videri, quam sic simpliciter lucrum irrationabile habere. Hæc nos diu perscrutantes, et omnem talium electionum et hereditatum contemplationem considerantes, oportere credidimus communem super his scribere legem, secundum quam et præsens quæstio suscepit terminum.

#### CAP. I. De electione sublata.

Prospeximus itaque non confusum hoc electionibus indiscretumque relinquere, sed huiusmodi dare ordinem cause: matre semel ad secundas nuptias veniente, lucrum mox omnium filiorum proprietatem<sup>34</sup> antenuptialis fieri donationis: et nullam<sup>35</sup> esse licentiam matri, alios quidem filiorum eligere, alios autem exhonorare: quoniam omnibus simul secundis nuptiis fecit injuriam, quapropter et in presenti proprietates antenuptialis donationis tota ad filiam veniet: usu apud matrem, donec adjuvet, servando, et secundum nostram constitutionem, (si quidem mater premoriatur) filia tota antenuptialis donatio competit: si vero filia, manet quidem apud matrem lucrum ex pacto non existentium filiorum, reliquum vero erit filia, et moriens hoc transmittit ad suos heredes, qui ex lege vocantur.

#### CAP. II. De alienatione dotis, aut propter nuptias donationis extraneo facta.

Hoc<sup>36</sup> autem quod fit quidem semper, expressim vero nondum lege determinatum est, hoc ad melius incrementum, et interpositionem damus huic legi: nam si non filio forte, sed alicui extraneo mater adhuc secundas<sup>37</sup> non experta nuptias, partem quandam antenuptialis donationis, aut aliquam rem ex ea, vel totam donet, aut per alium forte alienet modum, deinde ad maritum veniat secundum: palam est, quia super-ventibus<sup>38</sup> secundis nuptiis alienatio evacuat, nec hoc omnibus modis, sed in suspensio et alienatio et evacuatio manet: nam si manserint superstitis filii, evacuabitur omnino quod factum est, lege proprietatem antenuptialis donationis ad filios deducente, et non respiciente mulierem, si quid egerit in læsionem filiorum. Si vero præmoriatur omnes matris filii, erit contractus firmus, non in totum, sed secundum pactum non existentium filiorum: quod nos introduximus primi, et statuimus nuper de hoc scribentes legem. Et secundum quandam quidem partem erit contractus firmus, secundum quandam vero infirmus apparebit: hoc est, secundum hoc quidem, quod permanet apud matrem, occasione pacti filiorum non existentium, valbit: secundum hoc vero quod transmittitur ad filii successores, infirmus erit: ut si mater sola filio succedens inventiatur, omnis contractus rursus firmus erit. — § 1. Quia vero contra<sup>39</sup> binubos pœne communes et viri sunt et mulieris: ille quidem in dote ad secundas veniens nuptias periculum sustinet: hæc autem in antenuptiali seu propter nuptias donatione. Et hæc lex in utraque sit posita persona, hæc et de electione et de alienatione, et de lucro sanciens.

#### CAP. III. De successione si filius intestatus mortuus fuerit, vel quælier secundo nubens ad filiorum hereditatem vocentur.

Cum<sup>40</sup> igitur reliquum sit cogitare de hereditatibus filiorum, pro quo etiam præsens est dubitatio: oportere credimus generali lege et præsen-

33. C. de secund. nupt. — 4. Auth. Sed et si quis, C. d. t. — 5. N. 23, c. 20, § 1 — 6. d. N. 23, c. 26. — 7. d. N. 23, c. 23; L. 5, C. de secund. nupt. — 8. Auth. Ex testamento, C. d. t.

tem questionem dirimere et determinare, et in futuro movendis omnibus dare decisionem. Et sancimus alias res post antenuptialem donationem ad filios venientes, si quidem filius masculus, aut femina forte testetur, secundum legem venire ad scriptos heredes: hic matre non prohibita scribi a filio herede: sed etiam contra testamentum ei datis allegationibus, si forte filius eam prætermiserit, aut irrationabiliter exheredatam fecerit. Si vero intestatus decesserit, reservans illius partem, si quidem habuerit filios proprios, ad filios venire, sin autem non habuerit quidem filios proprios, sit fratrum vocatio et matris una cum fratribus (secundum quod a nobis sancitum est) ad hereditatem venientis, et eam firme habentis, sive ad secundas vellet venire nuptias, sive non. Nec enim majores pœnas adversus mulieres, quæ ad secundas veniunt nuptias, faciemus, neque ex hoc eas ad necessitatem deducemus amaram, et nosrum temporum indignam, ut metu castarum nuptiarum (licet<sup>9</sup> secundæ sunt) ab his quidem absteineant, et descendant ad quasdam interdicitas permissioes, et forsam etiam ad servorum corruptiones: et, quoniam non licet legaliter caste vivere, contra leges luxurientur. Nequaquam igitur valere volumus, neque in quinto libro Codicis cognominis nostræ pietatis positam constitutionem<sup>11</sup>, decernentem de hereditatibus filiorum, quos matres ad secundas nuptias venientes viderunt præbeentes, neque in sexto libro ejusdem conscriptionis sub titulo<sup>12</sup> Tertulliani, quæ de mulieribus disputat, secundis quidem nuptiis junctis, ante secundam tamen copulationem filios admittentibus: sed vocetur ad filii hereditatem modis omnibus mater cum fratribus, et hanc habeat firme, nihil ex secundis lædenda nuptiis, quod et in subjecta questione, quæ legem hanc movit, obtineat, et mater una cum filia succedat hereditati: aut etiam succedens hanc irrefragabiliter habeat, nihil ex spe secundarum lædenda nuptiarum, sed domina ejusdem hereditatis cum filia absolute consistens. Optimum itaque est, atque laudabile, et dignum oratione, ut mulieres, ita se honeste tractent, quatenus quæ semel ad virum venerunt, servent inviolatum morientium torum: et hujusmodi mulierem et miramur pariter, et laudamus, et non procul a virginitate ponimus. Sin autem non valuerit (cum forsitan et juvenis hoc non patitur) nec possit contra fervorem nature resistere, non est torquenda propter hoc, nec interdiciende sunt ei communes leges: sed ad viri alterius veniat nuptias honeste, et omni luxuria absteineat: et fruatur successione filiorum. Sic enim eos adhuc amplius diligit, et non quasi quosdam odibiles respiciet, pœnis subdita sic amaris. Sicut enim patres, si ad secundas veniant nuptias, non<sup>13</sup> fraudamus filiorum suorum successione, nec quælibet est lex aliquid tale dicens: sic neque matres privabimus filiorum successione, si matres ad virum veniant secundum, licet ante nuptias secundas aut post secundas filii moriantur. Alioqui ex absurditate legis, licet præmorianantur filii omnes, non relinquentes filios aut nepotes, nihilominus supplicium manet, et non succedet eis mater, nec sine filiis moriantur: sed inhumane ab eorum expellitur successione frustra quidem patiens, frustra simul et nutriens propter legales nuptias subjecta pœnis, succedent quidem illis aliqui ex longa cognatione: mater autem irrationabiliter expelletur. Quapropter, et ipsa succedat filiis: et sic hæc lex clemens, et mitis, matres filiis concilians. Colligentes igitur hujus legis partes, sancimus, quoniam matrem (secundum quod jam dudum diximus) assimilamus patri in antenuptiali donatione: et ipsa sustinere quidem pœnas, sicut sustinet pater in dote: in hereditatem autem filiorum sine tergiversatione veniant, pater, et mater secundum subjectas utrique casui questiones. Proinde quod patres habent sive ad secundas venientes nuptias sive non, hoc etiam matres habeant, voceturque mater ad filii hereditatem, sive jam ad secundas venit nuptias, sive postea veniat.

§ 1. Antenuptiali vero donatione, ad secundum veniens consortium, neque secundum quantum heres existit filii, fruatur: sed hoc filiorum sit solum locrum, eis a lege datum, et non videatur esse pars hereditatis filii: sed adhuc antenuptialis donationis non abiciens naturam. Quæ compedit tenere etiam circa eas, quæ nunc jam sunt viduatae mulieres et propriis successerunt filiis: et quæ nondum ad secundas veniunt nuptias, licet postea veniant. Quod igitur hic habetur, sic omni tempore sciatur.

CAP. IV. De administratione donationis propter nuptias si mulier ad secundas nuptias transierit.

Aliud<sup>14</sup> vero quiddam occasione secundo nubentium mulierum et antenuptialis donationis, adjicere prioribus, bene se habere credimus. Præcis namque constitutionibus præbentibus electionem mulieri, quæ ad secunda vota descendit, si vellet accipere ante nuptias donationem, secundum quod ei permittunt pacta et exponere filiis cautionem<sup>15</sup>.

9. N. 27, c. 46. — 10. d. c. 46. — 11. L. 5, § 1, C. de secund. nupt. — 12. L. 5, C. ad SC. Tertull. — 13. Adde l. ult. C. de bon. matern. N. 22, c. 34. — 14. Auth. Sed si aurum, C. de secund. nupt. — 15. Vers. si autem, in 7. hic. — 16. N. 22, c. 48. — 17. L. 5, C. de secund.

Quia moriens hæc restitueret: sive cum non valet dare cautionem, aut nollet forte, manerent quidem res apud filios antenuptialis donationis, solverent autem ei etiam tertiam partem centesimæ usuræ: nos ex questionum emergentium varietate moti, quoniam invenimus minores in hoc periculum patientes, antenuptiali donatione in pecuniis existente: et alios aurum quidem non habentes, coactos autem omnia paternam vendere, quatenus exsolveretur antenuptialis donationis debitum, ad eos utique secundum legem antenuptiali donatione veniente: propterea judicavimus oportere hunc dari ordinem causæ; ut<sup>16</sup> si quis contulerit res secundum antenuptialem donationem, si quidem omnes immobiles sint, maneat<sup>17</sup> harum usus apud matrem: et ipsa eum colligat, et non respuat: neque exigat filius pro harum aestimatione usuras: sed et diligentiam earum habeat, sicut lex jubet, usu quidem existentibus dominis, et custodiat eas secundum leges antiquas filiis superstitibus<sup>18</sup>: aut si omnes moriantur, secundum nostram legem, in casum quidem non existentium filiorum matri: reliquum vero filiorum hæreditibus conservandum. Si autem omnis forte consistat in pecuniis, aut aliis mobilibus rebus antenuptialis donatio: tertiam usurarum partem percipientem matrem cum<sup>19</sup> cautione jam definita: non exigere a filiis aurum: nisi forte idonea sit viri substantia, et habeat aurum et argentum et vestem, et quicquid conscriptum fuerit matri; tunc enim electionem matri dabimus, sive voluerit res percipere, et præbere cautionem: sive justam quam diximus usuram accipere, et secundum priores leges, et secundum nostram. Si vero permixtæ sint res, et donatio ante nuptias aliquid quidem in pecuniis, aliud vero in immobilibus habeat rebus: immobilia quidem modis omnibus manere apud matrem, ut alimentum habeat inde: porro de mobilibus hæc valere quæ sancimus prius, si essent in rebus mobilibus omnia antenuptialis donationis consistentia.

CAP. V. De dote scripta et non numerata vel præstita.

Illud<sup>20</sup> quoque dudum acerbe quidem sancitum, raro autem in judicio examinatum, existimamus oportere clara lege complecti, et tradere usui, et deducere ad judicia, pro communi positum adjutorio. Si enim conjungantur aliqui alterutris cum dotis et antenuptialis donationis documentis: deinde vir quidem antenuptialem præbeat donationem, mulier autem scribat dotem, aut ipsa præbeant eam, aut dante patre, aut quolibet extraneo: postea appareat matrimonii tempore dos non data marito, sed sustineat onera matrimonii, et matrimonium morte viri solvatur: non est justum omnino mulierem dotem non dantem marito, antenuptialem accipere donationem. Sin autem etiam non totam dedit dotem: et ipsa pro tanto exigat donationem, et in quantum dederit dotem: æqualitatis enim et justitiæ sumus amator, s, quam in omnibus aliis et in consortiis volumus obtinere. Quapropter quæ mulier nil omnino dat, nil omnino percipiat, quæ vero minus quam professa est dedit, tantum recipiat solum quantum obtulit, sitque etiam hoc optimam in presenti lege incrementum, plurima decernente, quæ semper in dubitatione sunt, vix autem modo ad legislationem deductam. Hanc autem valere volumus legem et in casu dante ei principium, et in pendentiibus<sup>21</sup> litibus et in omnibus de cætero provenientibus.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, tua sublimitas operi effectuique contradere festinet, et manifesta universis per programmata propria faciat, quatenus in omnibus civitatibus, quas nostra ditio continet, hæc valeant, et certæ omnibus fiant, secundum quod a nobis dispositum est.

### TIT. III.

UT DETERMINATUS SIT NUMERUS CLERICORUM SANCTISSIMÆ MAJORIS ECCLESIE, ET CÆTERARUM ECCLESIA-  
RUM CONSTANTINOPOLITANARUM.

NOVELLA CONSTIT. III.

Imper. Justin. Aug. Epiphanius sanctiss. et beatiss. archiepiscopo regis civitatis, et universali patriarchæ.

PRÆFATIO.

Dudum quidem communi et generali lege ad tuam beatitudinem et ad reliquos sanctissimos patriarchas scripta, de ordinatione venerabilium episcoporum, et reverendiss. clericorum, necnon mulierum diaconissa-

nupt. — 18. C. 1, supr. hic. — 19. Vers. præcis. supr. hic: L. 6, § 1, C. de secund. nupt. — 20. Auth. Sed que nihil, C. de pactis convent. — 21. l. 7, C. de legib.

rum, et ut non amplius sint ab antiqua mensura qui ordinantur, disposuimus: quod nobis videbatur bene se et competenter habere, et regularum sacram digne: præsentem vero legem specialem ad tuam beatitudinem scribentibus, de numero reverendiss. clericorum, qui in hac urbe sunt, disponentes. Quia enim pene nihil immensum bonum est, competens est neque ordinationes quæ super reverendiss. clericis fiunt, aut super reverendiss. diaconissis, fieri tantas, ut illorum expensis sanctissima ecclesia incidat in causam mutuum maximorum, et paulatim ad novissimam inopiam deponatur. Novimus enim propter hujusmodi occasionem, hujus regie civitatis sanctissimam majorem ecclesiam, nostri imperii matrem, debitis inquietari majoribus, et non aliter valentem facere singulas erogationes reverendiss. clericis, antequam aurum non parvum sumat mutuum, faciens tam hypothecas quam pignorum dationes in optimis suis prædiis rusticis et suburbanis. Propter hoc igitur perspexit nosmetipsos deponere ad hujusmodi causæ inquisitionem, et agnoscere quemadmodum prius se habuerit, quidque longitudo temporis adveniret. Investigantes igitur illud undique invenimus quoniam singuli horum qui sanctiss. ecclesiam edificaverunt in hac felicissima civitate, non pro edificio solummodo cogitaverunt, sed etiam ut expensis sufficientes darent a se factis venerabilibus domibus: et determinarent quantos quidem competens esset presbyteros per unanimitate que ecclesiam, quantosque diaconos masculos atque feminas, et quantos subdiaconos, et rursus cantores atque lectores et ostiarios constitui: et super hæc etiam oratorii expensas definirunt: et redditus proprios dederunt sufficientes iis quæ a se constituta sunt: si quis autem adjuerit multitudinem, nequaquam amplius penitus extendi valentes. Et quidem permanserunt usque ad multum tempus talia conservata: et donec hoc fuit, duraverunt sanctiss. ecclesiarum domibus quæ sufficerent. Cum vero Deo amabiles episcopi ad aliquorum preces semper respicientes protracti sunt ad ordinationum multitudinem, aucta quidem est expensarum quantitas ad immensitatem multam: creditores autem undique et usuræ, et novissime neque creditores inveniuntur propter incredulitatem jam causæ: sed alienationes cum necessitate, et contra leges, et causæ indecentes, et neque propria dignitate temperate, ut ex hac mimietate, neque prædia neque suburbana sufficerent hypothecis et pignoriibus, neque creditores propter hoc invenirentur, sed ad inopiam descenderent novissimam, et nec ipsis ministris emolumentum dare sufficerent: sed ad viam omnium infelicissimam causa descenderet, quatenus rerum omnium creditoribus cederet: quod etiam dicere piget nos: et quemadmodum non fiat, providemus. Nam si non aliquis ferret libenter eum qui ultra substantiam suam expendit, quomodo non et de his nobis est cogitandum? Non enim oportet ad mensuram expensarum querere etiam possessiones, (hoc enim simul ad avaritiam impietatemque perducit) sed ex iis quæ sunt, impensas metiri. Quapropter competenter etiam de his sancimus, et immensitatem excludimus, certæ medicinæ causam tradentes.

CAP. I. Ut numerus clericorum qui nunc est, maneat, et de futuro numero clericorum Constantinopolitanæ majoris ecclesie.

Sancimus igitur eos quidem qui hæcenus sunt in eadem sanctiss. majore ecclesia et reliquis omnibus venerabilibus domos, et reverendiss. clericos, et mulieres diaconissas et ostiarios manere in quo sunt schemate, (non enim quod est, minimum, sed de futuro providentes hæc sancimus) reliquo vero tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiquum numerum institutum ab iis qui sanctiss. ecclesias edificaverunt, reverendiss. clericorum quantitas redigatur. Sed quoniam pridem etiam reverendiss. clericorum sanctissimæ majoris ecclesie regie nostræ civitatis determinatus est numerus, et valde brevis erat: utpote una existente sanctissima ecclesia: postea vero et venerabilis domus sanctæ gloriosæque virginis et Dei genitricis Mariæ juxta sanctissimæ majoris ecclesie vicinitatem posita, edificata est a pie memoria Verina, et veneranda domus sancti martyris Theodori a Speratio gloriosæ memoriæ dedicata est. Erat autem etiam venerabilis domus sanctæ Helenæ, quæ sanctiss. majoris ecclesie copulata est: propterea redigere numerum ad antiquam figuram impossibile est. Non enim sufficient tantis ecclesiis pauci consistentes: quoniam quidem non proprios clericos, neque una quidem harum trium habeat basilicarum, sed communes sunt, et sanctissimæ majoris ecclesie, et earum: et omnes circumventes secundum quandam ordinem et circum, ministeria in eis celebrant: deinde etiam plurima multitudine, et ex antiquis hereticis ad sanctiss. majorem ecclesiam deducta, gratia quidem magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, laboribus autem, et immunitationibus nostris oporteat plures quam a principio ad præsens officii ministerium definiri. — § 1. Quapropter sancimus non<sup>1</sup> ultra sexaginta

TIT. III — 1. Adde L. 4, C. de sacros. eccles. — 2. N. 5, c. 7 — 3. Adde N. 6, c. 8.

quidem presbyteros in sanctissima majore ecclesia esse, diaconos autem masculos centum, et quadraginta feminas: subdiaconos vero nonaginta, lectores autem centum et decem, cantores viginti quinque: ita ut sit omnis numerus reverendiss. clericorum sanctissimæ majoris ecclesie in quadringentis viginti quinque: et insuper centum existentibus iis, qui vocantur ostiarii. In sanctissima siquidem majore ecclesia hujus felicissimæ nostræ civitatis, et per tres venerabiles domos unitas, et tanta clericorum sit multitudo: nullo quidem horum qui nunc sunt, excludendo: licet multo plurium sit numerus ab iis qui a nobis nunc determinati sunt: nullo autem de cætero adiciendo in unoquoque ordine in iis qui nunc sunt, donec ad hunc numerum mensura redigatur.

CAP. II. Ne liceat clericis de minore ecclesia in majorem per patrocinium transire, et de clericorum multitudine non faciendâ.

Illud quoque adiciendum est, ut quod hæcenus indecenter fiebat, nequaquam in repub. geratur, id est, multos reverendiss. clericorum, dignari quidem in iis quibus ordinati sunt, sanctiss. ecclesiis, aut hic, aut in provinciis, deservire: ad sanctiss. vero majorem ecclesiam, et venerabilem clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere, quod de cætero omnimodo fieri prohibemus: nam si super venerabilibus monasteriis prohibemus ex alio monasterio ad aliud transmigrare: multo magis neque reverendiss. clericis hoc permittemus: licet et negotiationis habere demonstrationem hujusmodi horum desiderium judicantes. Si vero, et aliquando talem quandam migrationem tua beatitudo, aut per tempora imperium fieri perspexerit: non aliter hoc agi, antequam ad prædictam a nobis numerum causa redigatur, ut migratio in officium deficientis fiat: et non supra numerum aliquid omnino excedatur: hoc enim nulla machinatione, neque ex aliquo modo fieri sinimus. Et hæc quidem de sanctissima majore ecclesia.

§ 1. In aliis autem omnibus ecclesiis, quarum expensas sanctiss. major ecclesia facit, sancimus nunc quidem existentes manere, similiter eos etiam sub schemate, de cætero vero nullum ordinari, antequam ad statutum uniuscujusque ecclesie (ut vocant) quod antiquius ordinatum est ab edificatoribus ecclesiarum, presbyterorum, diaconorum masculorum atque feminarum, et subdiaconorum atque lectorum, nec non cantorum, et ostiariorum numerus redigatur, et nullus in medio penitus adiciatur. Nosque ipsi cavebimus tale aliquid agere, et ordinandos mittere: nullusque nostrorum judicum tale aliquid agat, nostram formidans legem: et licentia sit beatiss. archiepiscopo et patriarchæ hujus regie civitatis ordinationi contradicere, licet jussio de palatio veniat: nam qui et præcipit, et cui præcipitur, sub ecclesiastica erunt mulcta, si tale aliquid egerint. Sed neque in aliis ecclesiis, quæcumque emolumentum, et expensas non habent a sanctiss. majore ecclesia, competens est, multitudinem introumittere ordinandum in ipsis, neque transcendere de cætero constitutum a principio etiam super illis mensuram: ne forsam etiam qui in eas creantur in multitudinem incidentes immensam, et accedentes sibi met a pie agentibus redditus dividentes, et exinde usque ad mensuram eorum non sufficere videntes, in maximam angustiam incidant. Si vero ultra mensuram definitam in sanctiss. majore ecclesia sive aliis ecclesiis ordinet, qui per tempora fuerit sanctiss. majoris ecclesie sanctiss. episcopus, et venerabilis ejusdem ecclesie æconomi erogationem ex ecclesiasticis præbuerint redditibus: ipsi quoque de sua et propria facultate præbeant expensum, et qui hæc expendere eos permiserit beatiss. patriarcha. Sciant enim, quia si quid tale egerint, licentiam damus et sanctiss. patriarchis, qui post tale aliquid agentes fuerint, et posterioribus æconomis, et omnibus reliquis reverendiss. clericis talia perscrutari, et facta prohibere, et indicare imperio: ut illud cognoscens, præcipiat ex substantia hæc agentium æconomorum, aut etiam permittentis archiepiscopi hoc sarciri sanctiss. ecclesie. Quapropter ne rursus forte fiat aliquid rei confusio atque tumultus, causa ad mensuram a principio constitutam redacta, tunc ordinare liceat in tantum ut non transcendatur definita mensura, neque numerus transeat, aut fiat quædam circa hoc calliditas. Non enim illud patimur omnino fieri, ut dicatur quia licentia erit ordinare quidem, non tamen emolumenta præbere: hoc enim est rursus confusionem efficientium, et immensa adiectione secunda collegia constituentium: deinde etiam plurimas habebit ea res circumventiones, ut alias sibi met vias avaritiæ inveniant pro alimentorum expensis. Ex hoc igitur agi penitus, etiam sub mulcta, quæ vocatur ecclesiastica, prohibemus: maximam utilitatem hanc esse putantes, ut sanctissima major ecclesia neque debitis subiciatur, neque angustietur, neque perpetuo deficiat, sed semper abundet.